JOSEPHI FARSETII PATRICII VENETI CARMINUM LIBRI DUO, ET JO. BAPT. CARMINATI P.V...

Tommaso Giuseppe Farsetti,
Giovanni Battista Carminati

Digitized by Google

JOSEPHI FARSETII

PATRICII VENETI

Carminum Libri duo

ET

JO. BAPT. CARMINATI P. V.

PROTEUS

Editio emendatior.

VENETIIS. MDCCLXII.

Digitized by Google

B° 17 misc. 5. 49. 6

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS

Forte ego querelis interſui hominum eruditorum, cum ſatis mirari non poſſent, in tanta Italorum poetarum ſegete, quantam hæc ætas, atque adeo hæc Urbs tulit, per paucos laude dignos vix inveniri Latinos poetas; atque unum ferme e noſtris Joſephum Farſetium nominarent. Hunc illi efferre maximis laudibus, quod præter illud Etruſcæ ſtudium orationis, magis quod videatur populare, coleret etiam in paucis magno animi ardore Latinas litteras, quarum vulgo gratia jamdiu frigeat. Itaque Farſetii carmina puro ita ac ſimplici candore eminere, ita omni elegantiæ ac venuſtatis genere eſſe adſperſa, ut politiſſimos vates Catullum ac Tibullum politiſſimo vir ingenio non modo conſecutus fuerit, ſed etiam aſſecutus. Miratos ea primum Gallos edita in lucem Pariſiis; guſtata ſerius a noſtris; tum exemplorum, ut fit, inopia a multis fruſtra expetita. Quid ceſſarent noſtri Typographi? quid vulgaria fercula popello ſemper apponerent? Nunquam ne apparatio-

res epulas lautioribus convivis? Num ſemper de quæſtu, nunquam de excellentium ſcriptorum gloria, de litteratorum hominum judiciis, de bonorum benevolentia fore ſollicitos? Quam enim gratiam inituros ab optimo quoque Patricii ordinis, ſi famæ conſuluerint Patricii eius viri, qui Latinæ poeſeos laudem apud ſuos retinuerit, & Naugerios, ac Bembos longo intervallo retulerit? Iam ad decus hujus Urbis ac dignitatem pertinere, in qua civitate ſummis hominum ingeniis vetus illa atque aurea Etruriæ lingua in dies vigeat in ea per Farſetium refloreſcere Latinas Litteras, & ad præclarum laborem adoleſcentes ſuaviſſimo illius cantu invitari. Neque vero pudori hoc illi futurum, quod molliculis aliquando verſibus luſerit adoleſcens. Quem enim fore aut tam ſeverum, nihil ætati ut indulgeat; aut tam hoſpitem in Latinis poetis, ut imitationis in eo ipſo neſcio quam venuſtatem non agnoſcat? Modeſtiam quidem nobiliſſimi Viri, fidem, humanitatem, optimarum artium ſtudium, totam denique vitæ rationem verſari in oculis civium: qui cum longinquas regiones excolendi ingenii cauſſa peragrarit, nunc honeſto in otio ſatis lauta inſtructus librorum ſupellectili nihil agat, nihil

hil cogitet, niſi ut bene de litteris, bene de ſuis civibus mereatur. Hæc de Farſetio cum dixiſſent conjectis in me identidem oculis; tum ego ſubridens, non patiar, in quam docti Viri, Veneti typographi operam diutius deſiderari, neque vatis elegantiſſimi carmina a Gallis pluris fieri, quam a noſtris.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPO FARSETIO

Conſanguineo meo

S. P.

CUm ſuperioribus diebus has nugas publici juris facere ſtatuiſſem, id ſtatim conſilii cœpi, ut tibi, PHILIPPE ORNATISSIME, inſcriberem; non veluti Catoni cuidam aut Ariſtarcho, qui mihi ſuccenſeat ob earum tenuitatem, ſed ut æquo rerum æſtimatori, qui de politioribus litteris optime judicet. Etenim ea eſt vitæ meæ ratio, ut ſemper non mediocrem voluptatem percipiam ex ſtudiis antiquitatis, & Latinorum ſcriptorum lectione. Quod quidem & te facere ſæpiſſime, qui te norunt intelligent. Neque id tantum, verum & graviora, & quæ nominis tui memoriam non ingloriam relinquant. Nam eo te provexit liberalium Artium juvandarum ardor, & cupiditas (dico enim quod nemo non videt) ut clarorum virorum Simulacra, & monumenta ſelectiora vetuſtatis quotquot Romæ extant,

cæteriſque Italiæ in Urbibus perquiras, & formis fuſis tecum habere voluiſſe compertum ſit. Cujus rei & perdiſſicilis ſane fuit conſecutio, ſolique antea Ludovico XIV. Principi potentiſſimo conceſſa, & ſumptus prope regios exigere viſa eſt. At tu unum auctoritate & gratia, alterum fortunis unde polles maximis, perfeciſti; reque ad umbilicum adducta theſauri iſtius tanti Venetiis copiam feciſti, & in ædibus tuis locaſti, ut Pictorum & Sculptorum, quibus Patria noſtra florentiſſima eſt, oculos ad ſe quotidie excitet. Qua in re non tua ipſius delectatio jucundior tibi futura eſt, quam aliorum utilitas & commodum. Quis enim mehercule eſt in Republica noſtra tam ignarus eorum quæ in vita geruntur, ut ex hoc maximo beneficio, quod Patria acceptum ſibi referet, multa alia beneficia quaſi ex fonte neget proficiſci? Quis non artifices in ſpem evehat, qui domi ſine ullo periculo, aut labore, nullius impenſis, habent exempla tanquam in theatro exquiſitiora & archetypa, ut quidquid ipſi velint effingant? O civem egregium deque Republica benemerentem, qui Patriæ tuæ nobiliſſimæ ornamento conſulis, eamque, quantum in te eſt, reddis ſplendidiorem, & locupletiorem! Vereor, ne ſi plura de

Digitized by Google

te loquar, mihi ipſi nimis blandiri videar, cum ex eodem Sanguine profectus ſim atque tu. Quapropter te valde obſecro, ut pauculos meos verſus, qualeſcumque ſint æqui bonique facias, atque legas. Nam Jo. Bapt. Carminati Poetæ cultiſſimi Carmen adjunxi, ut meas ineptias illius elegantia penſarem. Illud enim prodiit nobis curantibus primum Venetiis, ſed Typographorum inſcitia mendis ita inquinatum, ut vel non impreſſum cenſeri poſſit. Vale, & quod facis me ama, teque a me amari, maximique fieri exiſtima.

Pariſiis pridie Idus Septembris MDCCLV.

Digitized by Google

JANI PHILOPHILI SYMPOSIANI

Mole perexiguum, Lector, ne ſperne libellum;
In tenui ingenium promitur artificis.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

Digitized by Google

Quiſquis es o cupida qui carmina mente requiris
Hæc mea, noli eadem eſſe putare aliquid.
Nanque Amor ætatis primævo in flore coegit
Promere, dum me alto ſubdidit imperio.
Et jucunda quies nullis obnoxia curis
Muſarum ad ſedes mi patefecit iter.
Parce igitur ſcriptis, miſerum ne carpe libellum;
Hoc ego non longi temporis inſidias
Vitare, aut nomen venturis tradere ſeclis
Cogito, ſed ludos ludimus ingenuos.

Digitized by Google

De Ælia iter faciente.

ILla meum cor, & illa anima, illa meos mihi ſenſus
Quæ rapuit blandis Ælia luminibus;
Heu! nunc conducta vehitur per cærula pinu,
Quærit & a noſtra regna beata plaga.
Ipſe autem miſer hic maneo ſejunctus ab illa
Turtur ut amiſsa compare multa gemit.
Nec jam deſerto divelli a litore poſſum,
Invida ſed cupida carbaſa mente ſequor.
Et ſolus vacuis incaſſum conqueror auris,
Ingeminant voces ſaxa recurva meas.
Ite leves auræ & dilectæ dicite amicæ,
Ut ſine ea grave onus ſit mea vita mihi.

De Amaſia ſua.

Pendulus a labiis Dominæ tot baſia ſumpſi
Quot cœlum enumerat ſidera, pontus aquas;
Ac niſi veniſſet quam neuter adeſſe putavit,
Et pia, quam perdant numina, mater anus:
Aggreſſus majora videbar ego aſſequi id omne
Quod deſiderio me tenet aſſiduo.
Nunc jam dilectis meditor ſuccedere tectis,
Ut teneras iterum moliar inſidias.
Sancta Venus cæcis quæ dulcia furta latebris
Involvis, præbe te, Dea, mi facilem:
Præcipue æternam convelle a limine matrem,
Gaudia quæ mihi tot neſcia ſurripuit.
Aut ea reddatur qualis qui Gorgone viſa
Membra Meduſæum verterit in lapidem.

De

Digitized by Google

De Arria nunquam vera fatente.

Arria mendaci cuivis notiſſima lingua
Fœmina furtivis dedita adulteriis,
Falſo a perjuro nunc accuſatur Hyantho:
Ipſa ſua prolem dura necaſſe manu.
Cumque ſuas partes defendens vera fateri
Debeat, an mendax hic quoque ſit dubium eſt.

Pictori commendat amaſiam.

Huc ades, o Pictor, ſi jam tibi gloria curæ eſt,
Tu, qui vivere poſt ultima fata paras.
Non ego Apelleæ didici præcepta Minervæ,
Vel tua forte, Myron, vel tua Praxiteles,
Et Dominæ cupio pulcherrima corpora fingi
Eois ut ſint cognita & Heſperiis.
Ergo age de candore nivis tibi ſume colorem,
Brachia quo effingas ambroſiaſque manus.
Auro perſimilis coma ſit, diffuſaque in auras,
Qualis Syringis, cum fugiebat, erat.
Dentes fac nitida ex concha quæ lecta profundo eſt,
Poma alto emergant utraque acerba ſinu.
Quæ fuerint cum exacta, operis majoris origo
Surget, & enixa longior arte labor.
Nam facies, oriſque decor, lumenque verendum,
Judice me, nullo redditur ingenio.
Tu tamen hic nervos intende, illuſtriaque aude.
Clarius in magnis & tibi nomen erit.

Pluribus amoribus incentus eſt.

Urit non una interdum mea viſcera flamma,
Sæpe duplex eadem eſt, Jupiter, atque triplex.

Nam

Digitized by Google

Nam cum Phyllida amo, pereoque Lycoridis igne,
Tu magis ipſi mi, mollis Hymæra, places.
Cumque amo Leucippen ſimul & mihi Delia cara eſt,
Et ſimul auratis Lidia cara comis..
Inviſa eſt tantum nobis maturior annis
Fœmina, vel cui ſit nullus in ore lepor.

Teleſini mors.

Poſtquam te miſere, Teleſine, in amore ſiniſtro
Vidimus inſana procubuiſſe nece;
Conticuit, faſſus tenerorum irriſor amantum
Adverſo quenquam poſſe in amore mori.

A Domina promiſſa poſtulat.

Si bene commemini menſis mihi defluit, ex quo
Te amplexu fovi, candida Calliroe,
Plurimus & quanvis in te ſuſpiret amator,
Ipſe tuam vellem non mihi deeſſe fidem.
Alba fides moreſque probat, perjuriaque odit,
Hac ſine forma leve eſt munus, & exiguum.

Acon.

ERgo ſagittiferæ choreis modo iuncta Dianæ (lentem.
Nunquam ego te inveniam latitantem ac teſqua co-
O vita, mea lux, mihi carior? Ecce Polyſtor
Ille tuus per iter ſalebroſum & ſaxa volutus
Diſtineor curis, imo lamentaque corde
Educens, repleo vanis ululatibus agros.
Ah! quid mentis ineſt? tibi ne promiſſa repente
Effluxiſſe putem ex animo, ardoremque fidelem?

Sæva

Digitized by Google

Sæva Deos Hyale, ne deſpice. Jupiter odit
Fædifragos. Æqua & pro crimine pœna luenda eſt.
Eja agedum huc ades e latebris, ſaltuque fragoſo,
Mille ſubj nudis incommoda cautibus errans,
Si neſcis, multumque viæ, multumque laboris,
Ut tete adloquerer præſens, & lumina cara
Jamdudum exultans ſaturarem mæſta figura.
Hoſpita quin imo attuleram quæ parturit arbos
Poma tibi decerpta, roſaſque, crocumque rubentem.
Sed tu nil curas, Hyale, mea munera. Flexti
Forte alio mentem ſtudio deprenſa recenti,
Nec potes eſſe mei memor amplius, improba, torres
Pulchrorum quodcumque hominum eſt, quodcumque
Quid faciam ſcabris in montibus actus inani(ferarum.
Spe miſer, atque ferens fortunæ ſigna ſiniſtræ?
Bruma riget quacumque, algens flat cominus aura;
Omnia ſunt deſerta, comæque abjecit honorem
Sylva, nec eſt pecoris, nivei nec copia lactis
Unde cibus mihimet, vitalis & eſca paretur.
O Hyale! quis te Deus occulit? ac ſibi portat
Gaudia quæ vitam fugientem nuper alebant?
Quæ loca te retinent, quæ te arva, aut abdita luſtra?
Intereram cito quandoquidem mihi luce cupita
Poſſe frui vetat impia ſors. Tu juſta negabis
Solvere, nec noſtrum lacrymas dabis ante ſepulcrum.
Talia Acon cecinit tenui projectus in umbra.
Sed pietate cavi colles gemitumque dedere
Armenta, atque greges, & amantia numina Sylvas.

De Mopſo & Phyllide.

Quum Mopſum Phyllis, quum Phyllida Mopſus amaret,
Flammaque concordes ureret una animos;

Mopſo

Digitized by Google

Mopſo Phyllis ait: Mea lux, mea ſola voluptas,
Quorum mi dulce eſt vivere, dulce mori,
Si qua eſt jam noſtri tibi cura, ah! limine ab iſto
Abſcede, & propius non rediturus abi.
Nam labefacta equidem donis & munere dicor,
Et ſcortum tota nuper in urbe vocor.
Tunc mœrens animo fudit ſuſpiria Mopſus
Et cara jam vix abfuit a Domina.
Sed quis fœmineo ſe immunem jactet ab aſtu,
Quis vitare malas autumet inſidias?
Nam labefacta quidem nollet cum munere dici,
Ad majora ſibi munera ſtravit iter.

De Ileu.

Tu ne igitur Veneris ſemper me gaudia poſces,
Ileu, & optati delicias thalami?
Sim amens ni te facti pœniteat cito: nanque
Omnia non omni ſunt in amore rata.
Scilicet, & torpent liventia membra veneno,
Et nos jamdudum Gallicus hoſtis habet.
Parce preces adhibere, leves compeſce querelas,
Ingens eſt medico non eguiſſe bonum.

De Suavio Hyellæ.

Semper erit ſacer hic locus & beneolentibus herbis
Cinctus aget veris tempora perpetui.
Et fons arguta trepidans qui labitur unda
Mi nunquam immemori pectore deciderit.
Dulce eſt alterutrum reminiſci, ubi candidæ Hyellæ
Hauſimus ambroſiis ſuaviolum e labiis.

De Hyale.

Sidereos ſua regna oculos Citherejus ales
Incolit, atque comis excubat aureolis,
Et faculas agitans, vibranſque immitia tela
Clamat: Quis mecum prælia torva gerat?
Heic opus eſt ſiquidem lacrymarum effundere rivos,
Heic opus eſt certa procubuiſſe nece.
Aſt ego qui varias formoſo in corpore doteis
Intueor, Paphii dicta nihil vereor
Numinis, & coram te totis ignibus uror,
Suntque, Hyale, vitæ fila rejecta meæ.

Invitatus a Lalage eam fruſtra quærit.

Di teſtes nemorum eſtote, & vaga flumina Anaxi,
Et Pan ſemicaper & Satyri & Dryades,
Quanta nos cura Lalagem quæſivimus inter
Sylvarum amfractus & nemora aeria,
Ad fontes, viridi Lalagem in convalle ferentem
Argutos & per devia luſtra pedes.
Ne ruri ſimulet degens iſſe omnibus obviam,
Meque notet tarda callida ſegnitie.

Lesbiæ diſceſſus.

Hadriaco digreſſa ſinu eſt mea Lesbia, ſordet
Urbs mihi, tela gerens torpet inanis amor.
Flent charites, ſqualet dejecto gratia vultu,
Amiſit tenerum Cypria mœſta decus.
Et iocus & periit ſal omnis & alma voluptas,
Terrarum & quidquid pulchrius orbis habet.

De

Digitized by Google

De Cloride.

Et lacrymas perſæpe & verba precantia fudi
Nequidquam iratæ Cloridos ante fores.
Durior & ſcopulis, Lybicumque imitata chelydrum
Surpuit ah! miſero ſpem mihi ſiqua fuit.
Profuerunt lacrymæ tandem, voceſque precantis,
Oppoſita & patuit janua clauſa ſera.
Quod ſupereſt meme excruciat mage dilaceratque,
Nummi etenim incepto ſunt in amore duces.

De Lidia.

Lidia pulchra, puella ſagax mi ſpondet amorem;
Illam ego nil metuens cogor amare magis.
Aſt cum perdite amem, inque dies mage cogar amare
Dicitur illa alium deperiiſſe virum.
Quid faciam veri deceptus imagine amoris?
Neſcio; ſed noſtro in pectore adhuc amor eſt.

De Hyale.

Irriguos Hyale graditur formoſa per hortos,
Cui laſciva levem ventilat aura comam.
Hæc dum virgineo flores mihi pollice carpit
Et matutinas luce cadente roſas;
Haud verita eſt nobis faciem præbere decoram,
Mixtaque blandiſonis reddere verba notis.
Queis ſenſi in liquidum totum me abſumier ignem
Jampridem, & mihi ſunt maxima nata mala.
Sed tantum hoc lætor quod & ipſos arte moveret
Non intellecta lumen utrumque Deos.

Digitized by Google

De Ligda.

Pulchra illa &, & qua non certe eſt operoſior uſquam
Quum vellet pactas ducere Ligda moras:
Lina, ait, hæc levia & qualos Actæa Minerva,
Artifices & acus & ſibi penſa dico.
Ut ſimul ac vires redeant, animoſque reſumam,
Incipias orſis Diva favere meis.

De Clœlia canente.

Incertus terraſne colam mortalibus hærens
Artubus, an magnos evehar ad ſuperos,
Mira tuæ ſenſim libo modulamina vocis,
Qua mi elapſa fugit Clœlia anhela anima.
Ac veluti demiſſa polo quem fulmina terrent
Nutat, jamque animum vix potis arrigere eſt.
Haud aliter plectumque lyræque ſonantia fila
Ipſemet & celeres obſtupeo articulos.
Phœbe ſile, Thebana ſile qui mœnia condis.
Omnia divina Clœlia voce refert.

Amor non debet vendi.

Ah pereat quæcunque poteſt ſe jungere amanti
Accipere atque auri millia multa poteſt.
At quæcunque avido cupiet ſe jungere amanti
Gaudia ſollicite fido ab amore petens:
Olli longa neant concordes fila ſorores.
Abſumptæque levis contegat oſſa lapis.
Sunt odio mihi dites & contemptui amantes,
Et debet ſolo vinci amor obſequio.

De

De Pholoë.

Ah ſenibus male ſit. Quæ te, Pholoe, impia mater
Vult lateri comitem ſemper habere ſuo?
Quæve domum ſervare jubens & limina, amantum
Exoptata diu gaudia ſpemque rapit?
Nil proſunt niveæque manus & eburnea colla,
Luminaque ætheriis æmula ſideribus.
Si, mea lux, latitas tenebris, ſi nocte ſepultam
Te premit immerito ſævus uterque parens.
Aſt age decipiam metuentem plurima matrem
Jam nunc. Quandoque eſt ingenioſus amor.
Illa Jovis certe notiſſima fabula res eſt
Quum Danaes caſtum perpluit in græmium;
Acriſiumque ſenem, turriſque fefellit ahenæ
Cuſtodes cœleſti aureus arce cadens.
Haud ſecus a magno ducens exempla Tonante
Ad tua furtivis tecta ferar pedibus.
Sed tu ne timeas per noctem, vita, caveto
Dum venio, atque levem janua dat ſonitum.

De Lidia ad Venerem.

Alma puellarum cuſtos Venus optima quæ das
Atque adimis formæ munera perpetuæ,
Ille meæ Dominæ candor nitidiſſimus oris,
Ebrioli illi oculi, crinis & ille ſacer,
Et digiti teretes, & olentes ſuaviter artus
Evitent longi temporis inſidias.
Ut, ſi forte poteſt fieri, veniente ſenecta
Lydia deformis non videatur anus.

 De nu-

Digitized by Google

De nuptiis Damonis & Neæræ.

Sparge roſas, Hymenæe veni: ſed ſpicula ſume
Aurea ſed rutilas ſume Hymenæe faces.
En te ſylvarum decor & ſolatia Damon,
Te vocat & blanda caſta Neæra prece;
Illa Neæra aureo cui non ſe Cynthia vultu
Conferat, aut roſea Cypris amata coma.
Sparge roſas, Hymenæe, jugalia vincula necte.
Eſt fauſtus nobis & ſacer iſte dies.

Friderico Rivulo Bergomati.

Fama refert te compoſita ſubſellia lite
Liquiſſe, atque fori murmura vauciſoni,
Utpote qui legum nodoſa volumina tractans
Res has ancipiti noveris ire via.
De quo ego nunc tota grator tibi mente, tametſi
Friderice ah! vix ſim conſcius ipſe mei,
Impia quem necat ebriolis Amarillis ocellis,
Et jubet indigno colla dediſſe jugo.
O Amarilli! rigent duro tua pectora ferro,
Senſus & afflictis non ſibi rebus adeſt.
Quænam Maſſylo peperit te in litore Tigris?
Quæve vorax ſiculis expuit unda vadis?
Jam decus egregium formæ, nivea ora, manuſque
Laudavi, atque tibi cætera poſthabui.
Talia nec primum ſpondebas, perfida, cum te
Vidimus auratis enituiſſe comis.
Tunc & eras facilis, mitique affabilis ore,
Tunc nullos in te rebar ineſſe dolos.
Sed quid ab incœpto digreſſus carmine, plura
Commemoro, & tecum triſtia fata queror?

Ad

Digitized by Google

Ad muſas te redde iterum, & placida otia nactus,
Rivuie, Apollineis ora reſolve modis.
En vacat, en tandem clamoſa Palatia vitas
Qui magna Idaliæ cura vocaris heræ;
Et tua ſcripta placent Latio perfuſa lepore
Unde magis vires ac magis auget Amor.
Hinc tu ſeu vitreo qua Brembus labitur amne
Arcadio inviſis rura habitata Deo,
Seu capreas jaculo figis, leporemve fugacem,
Sive eſt abrupto colle ſequendus aper,
Aut dicendi operam ſtudio navabis, & urbi
Optabis tandem conſuluiſſe tuæ;
Huc ades, & mœrenti aliquod ſolamen amico.
Et certam in dubiis caſibus affer opem.

De Leucippe.

Aſtra ſine invidia ſuperi cœlumque regant: me
Leucippe toto diligit ex animo.

De Lesbia.

Emorior cum te video, mea Lesbia, cum te
Lesbia non video non minus emorior.
Dic mihi quid faciam, quid agam hoc maleſano in amore,
Nanque neceſſe eſt ut te aut videam, aut fugiam.

De Quinto homine ſuperbiſſimo.

Olim faſtus eram, magnique ſuperbia Quinti
Qui ſe numinibus credidit eſſe parem.
Neſcio quo pacto nunc tandem mentula fio;
Nec piget; intumeo cum libuit pariter.

Digitized by Google

Ad Lygdam.

Eja age, Lygda, veni: Celadon te perditus ardet,
Ignis & in medios itque reditque ſinus.
Carpe viam: dilata minus ſunt gaudia cara,
Ocyor ut venias obvia nuda veni.
Gratius & fuerit nobis. Ah! parce pudori.
In tuto es, ſiquod numina magna, facis.
Nec ſecus a Paride umbroſis in vallibus Idæ
Viſa fuit Paphii candida Diva ſoli.
Nudus & eſt ſemper qui ſpicula torquet acuta
Sævus & in noſtro corde ſuperbit Amor.
Quis furor eſt Cois obducere veſtibus artus,
Membraque Biſthonia candidiora nive?
Torquibus auratis melior, meliorque ſmaragdis,
Crede mihi, eſt niveo pulchra puella ſinu.
Quiſquis is eſt ferus eſt primus qui veſte decora
Lacteolum ornavit fœmineumque latus.
Cui natura negat precioſæ munera formæ
Se tegat illa, ſatis nec tamen illa teget.
At tu quæ pulcra es, Phœboque nitentior ipſo
Eſſe palam tua cur non patiere bona?
Sedulus interea conjux, annoſaque mater
Arte tua falli ſentiat uſque cave;
Linque domum tacite ne ſomno excuſſus uterque
Deprendat: Cautos nulla pericla manent.
Jam te jam videor cupidis retinere lacertis,
Et facere & dulces dicere blanditias.
O propera atque veni tunicis, mea Lygda, relictis;
Suavior eſt ſine te nulla reperta venus.

In

Digitized by Google

In puellam.

Quæ venerem, optatique negas mihi gaudia lecti,
Longaque das ſurdis vota ferenda notis,
Hæc tibi contingant: Urat te fervidus ardor,
Nullaque nutanti ſit requies animo.
Cumque viri cupies cara in cervice morari
Nocte in deſerto ſola cubes thalamo.
Aut (quod forte magis conceptos augeat ignes)
Furtivus propter te advolitet Juvenis,
Ac fugiat veluti Alecto, viſaque Megæra.
Reddendis impar conjugis officiis.

De Cleopatra.

Credideram ſubito Cleopatræ incenſus amore
Saucia per longos pectora ferre dies;
Aſt Amor adveniens tuto mitiſſimus ore
Riſit, &, o Juvenis quo cito curris? ait.
Non hæc eſt Cleopatra, ſed immaniſſimus anguis
Illius qui de funere vivit adhuc.
Quique niſi advertas animo te faſcinet, atque
Congeſtas parvo tempore ſugat opes.
Dixit, & in tenues evanuit ocyor auras,
Meque ſuo tacitum terruit admonitu.
Ex illo obvia ſiqua venit Comœda puella,
Hujus ego tanti ſum memor officii.

De Lydia.

Lydia deformi & vetulo male juncta marito
Cum juvene & pulchro concubuit Notulo.
Qui ſimilem quantum ipſe ſibi eſt habuiſſe ſororem
Dicitur, & veſtem huic impoſuiſſe viri.

Ut

Ut ſi detecta re ſit deprehenſus adulter
Dicatur Notuli concubuiſſe ſoror.

De Fulvia.

Siqua mei ſanctæ tangit vos cura ſorores
Tuque Helicon, vos & Pieridum latices,
Hanc animam furiis incenſam, hos pectoris æſtus
Lænite, & mentem reddite mi miſero.
Quin totidem flammis totidemque doloribus acta
Sit, quot me immanis Fulvia ſenſit agi.

Ad Carinum de Arria.

Nymphæ quæ colimus Tarviſi dulcia rura,
Et quas piſcoſo flumine Silis habet,
Te id volumus nil tale timentem ſcire, Carine,
Etſi nos aliquid dicere turpe pudet.
Arria de cunctis laſcivior una puellis,
Commaculat ſancti jura verenda thori.
Umbrarumque petit ſedes, atque avia luſtra
Te pateant oculis plurima furta tuis.
Quoque tuos magis obtutus vitare coacta eſt;
Hoc magis eſt noſtris facta propinqua locis.
Hinc cum multa malæ uxoris ſint probra videnda,
Pura verecundus occupat ora rubor.
Quod tu ſi tantum ſubito hinc non dedecus aufers,
Nec prohibes mœchos caſta per arva ſequi.
Furcillis nos his e finibus ejiciemus
Lampſacio ut fiat grata rapina Deo.

De Calvo poeta obſcæno.

De cunno ſi forte tuus te ſermo reliquit
Dat cito dicendi mentula materiem.

Digitized by Google

De qua ubi jam ſatis atque ſuper tibi mentio facta eſt,
Calve iterum in cunnum verba diſerta facis.
Et culus reſtantque nates; quæ cum tibi deerunt
Non video de quo dicere, Calve, queas.

Friderico Fuſcaro Juveni ſuaviſſimo.

Quid facit ille tuus Baſſus, Friderice, meuſque?
Delirat ne aliquo captus amore ſenex?
Nam capite incano, corviſque annoſior audet
Semper de pacta plurima nocte loqui.
Porrectum & valido ſibi jactat ab inguine palum,
Quæ quantum fidei ſint habitura vide.
Sed verſus, quibus ipſe ſuos enarrat amores,
Sunt lepidi, ſale ſunt pleni, & acuminibus.
Ut quam ridiculus nobis videatur amator,
Iam dici excellens ille poeta queat.

LI-

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Apoſtolum Zenum virum clariſſimum.

Zene tuos auſus fortunent aſtra, tibique,
Vivere Neſtoreos dent annos, optima quando,
Et ſtudia in te unum veluti inclinata recumbunt
Et mores ſine labe tui & diſcrimina vitæ
Inſignem mihi te reddunt pietaſque pudorque.
Non ego, ſi optarim, tantas æquare canendo
Virtutes poſſim, laudeſque ad ſidera ferre.
Idcirco Auſoniæ modo non es cognitus omni,
Sed Ligeris, Rhænuſque celer, Rhodanique fluenta
Quanti te faciant munitum Pallados arte,
Et Sophiæ lucos, & florida rura colentem
Nullus adhuc neſcit, nec poſtera neſciet ætas
Annua conſtituat tibi qualia munera Cæſar
Ob clara ingenii monumenta obitoſque labores,
Ille idem qui tot populos ditione coercet
Cæſar, & imperii vaſto molimine anhælat.
Qua tum tempeſtate comas Peneide lauru
Cingit & Aonio totum te proluit amne
Cynthius, heroum qui maxima pangere facta
Mox docet, & tragico ſuras vincire cothurno.
Salve igitur, ſalve ter & amplius, inclyte Zene,
Itala nam pubes una & Germana juventus
Certatim plaudit, ſtellanteſque ætheris ignes
Docta volant ſupra quæis nitere carmina primus
Dejectam ſcenæ faciem ad meliora vocare,
Et decus exanimi lucemque inferre Theatro:
Sed tecum hæc reputans peritura & fluxa, velut quem
Nec vis theſauri, nec opum maleſnada cupido
Exer-

Exercet, faſtuſque inſano turbine volvit:
Sponte tua Pario ſubnixum marmore tectum
Deſeris & clamides gemmataque ſceptra potentum.
Anguſtus colitur tibi lar, ſed cultus, & adſtat
Librorum hinc atque hinc longo quæſita labore
Copia, nec deſunt circum undique & undique ſigna
Eximia cælata manu effigieſque priorum:
Heic dulce extremæ fines agitare ſenectæ,
Et pia magnorum venerari numina divum,
Quod facis, & ſemper veterum impalleſcere chartis.
Affari heic dulce eſt ſocios, heic ſcindere nodos
Difficiles, certa & proferre oracula voce.
O te felicem ante alios, vereque beatum
Soſpite quo bona ſimplicitas, & candor, & illa
Illa vetus nondum terras ſapientia liquit.

Hieronymi Tartarotti Roboretani Encomyon.

Qui doctus avide ſcriptorum evolvere chartas
Egregio incumbens operi, mentemque fatigans
Aſſueſti, ætherio laudes æquabit olympo
Fama tuas, quas ſera dehinc mirabitur ætas.
Macte animo vir magne. Favet Tritonia Pallas,
Et tua ſe virtus nitidis interſerit aſtris.
Quippe olim tenero (vox & mihi perculit aures)
Te puerum fovere ſinu Libethrides, & qui
Dulce canens, cithara inſignis juga celſa pererrat
Parnaſſi gnatus Lathonæ carminis auctor.
Tunc & Daphnæo redimitus tempora honore
Plaudentes inter choreas, atque agmina vatum
Expertes ſenſu rupes, & robora duxſti
Eloquio & claræ præſtanti munere linguæ.
Quin veluti quondam Rhodopejo contingit Orpheo,
Im-

Digitized by Google

Immanis patulo concentus ore Leæna
Hauſit, & antiquos viſa eſt poſuiſſe furores.
Nimirum prima florens ætate refulxi
Omnigenæ cumulo virtutis, & oppida norunt
Millena ingeniumque ſagax animumque peroſum
Otia lenta, inhias quo ſæpe ingentibus auſis.
Muſa (tibi uberior ſic ſemper Pegaſis unda
Diffluat, & longum Pindi nemora alta vireſcant)
Dic age quanta viro jam jam creſcentibus annis
Obtigerit ſummo delapſa ſcientia ab axe.
Scilicet hunc Dea ſupremi Jovis orta cerebro
Aſtrorum ſedes nitentem, & mœnia late
Scandere cœlicolum ſolerti indagine mentis
Suſpicit & proprium jubet in penetrale locari.
Ex illo ſiquid conſcriptum exprimere curat
Vir navus calamo indulgens ſtudiiſque Minervæ.
Emicat id totum divina luce refertum;
Excultique hominum cœtus, populique remoti
Mirantur nexus rerum, fandique leporem,
Nec quenquam hoc melius revera poſſe fatentur
Judicii dubias res æqua expendere lance.
Quid memorem quotiens ventoſi murmura ponti
Spreverit impellens agitata per æquora puppem?
Cui neque terrori ſunt ſyrtes, monſtraque fœdo
Vultu educta vadis, tempeſtateſque ſonantes.
Anne levis merces, aut contemnenda voluptas
Laudibus efferri paſſim nomenque adipiſci
Quod ſupereſſe queat poſt lethum atque ultima fata?
Credo ego (quandoquidem felix qui poſſit haberi
Perraro eſt aliquis, mortaleis dum induit artus)
Olli, cui fortuna favens hæc adferat ultro,
Nil deeſſe ut magnis ſeſe cœleſtibus æquet.
Ac ne propoſito deflectam: qua datur, ecce,

Digitized by Google

Te pergam & tua facta ſequi. Nam te auſpice, teque
Vindice, trans Tanaim, tepidique ultra oſtia Nili
Vana ſuperſtitio, maleſanus & ocyus error
In turpe exilium ſeſe conjecit abitque.
Vix etenim fera bella paras formidinis expers,
Cum dicto citius potuiſti evertere turmas
Objectas, penituſque hoſtem delere nefandum.
Hinc ſagæ infames, lamiæque, umbræque ſilentes
Senſere implicitæ nodoſis colla catenis
Servitium tandem impoſitum, dum cœca ſubire
Tartara & infernis properant latitare ſub antris.
Nempe tuas leges, tua jura capeſſere fas eſt,
Jura quibus nuper terrarum applauſerat Orbis.
O lux, o vere noſtris decus addite Sæclis!
Falciferi effecto ſenis aurea tempora mundo
Nunc redeunt per te; redeunt moreſque pudici
Et probitas certatim & amor ſanctiſſimus æqui;
Et pia relligio vires inſtaurat, & auget
Munere læta tuo. Sed quid tu mole fatiſcens
Sub tanta immenſas exerces pectore curas?
Jam mora te decet & luſus & blanda voluptas
Otiaque intactis ſemper jucunda Camenis.
Contrahe nunc lora & redimitus fronde virenti,
Deſueta meditare novum teſtudine carmen.

De Hermolao Barbaro ad Procuratoriam D. Marci Dignitatem evecto.

Te Patriæ lumen, Veneti laus ampla Senatus
Conſpicua virtute ſenem, tituliſque nitentem
Pacta dies trabea, rutiloque inſignit amictu.
Gaude, age, cærulei rident vaga marmora Ponti,
Delphinumque cohors, phocæque in litore ludunt.
Exe-

Exerit e ſummo candentes æquore vultus
Nereis, & Zephiri halantes, & mollius auræ
Labuntur cœlo ſubſtratæ lenibus alis.
Aſpice, quippe viam frondenti ſternit acantho
Fæmina virque tibi ſubtexens dædala ſerta.
Compita jam reſonant, reſonant concentibus ædes,
Jamque palam Aonio mens eſt feciſſe labores
Quam merito venias croceo ſpectandus in oſtro.
Fortunate! diu longæ poſtrema ſenectæ
Soſpes agas, abeantque tuo mala fata cubili.
Sed quis me furor exagitat? Nunc pocula Dirces
Haurio fatidicis immixtus Phocidos antris.
Nam video proavorum umbras, animaſque tuorum
Suadæ devotas umbras & Apollinis arti
Lætius Elyſio in nemore & per opaca Silentum
Regna errare novos dictantes pectine verſus:
Scilicet ut patriis concluſus mœnibus urbi
Profueris, volvens animo præſtantia facta.
Ut ſenior populos, concreditaque oppida largis
Muneribus cumulata idem tu rexeris æqua
Lance, vetus cum te ſub principe floruit ætas
Et mores nivei, & candor, rectique cupido.
Hæc inter dulces ſuavi cum conjuge natos
Commemorant, cera & fatorum oracula pangunt.
Queis capite annuerunt inflexo ſtamina Parcæ;
Unanimes Parcæ fatalia ſtamina nentes,
Et fortuna ſuos orbes jam ſiſtere viſa eſt.
Sed quid ego enixe nunc, Barbare, multa referre
De te poſſe puto? ingenii certe mihi nulla
Aut levis eſt data vis, & laudum meta tuarum
Pierios ſuperat latices Phœbique favorem.

Digitized by Google

An memorem ipſe tuas, formoſa Lutetia, laudes,
Omnigenis ditata opibus, Divumque favore
Aucta, bonas artes ubi non coluiſſe pudori eſt
Et Sophæ ſtudia, & doctæ præcepta Minervæ?
Non ego ſum tanti: Tuque omni es carmine major.
Nil etenim ſacris Aganippodos invidet undis
Sequana qui mediam dulci te adlabitur amne,
Et latice ex iſto quicumque rigaverit ora
Aſtra petens, longum ſua ſcripta perennat in ævum.
Quid quod non dubiis munitam legibus orbis
Suſpicit, unde ſoles terrori ſontibus eſſe.
Unde iterum redit ad terras Aſtræa Virago
Quæ ſceleri pœnas, virtuti & præmia ponit.
Quid non eſt igitur ſperandum, urbs optima, de te
Talibus auſpiciis quæ cuncta regiſve faciſve?
Verius hæc poſſunt Saturnia Sæcula dici,
Sæcula quæ Lodoix reddit meliora vetuſtis.
Ille etenim quanquam ſtipatus milite multo
Et licet innumeras ditione coerceat urbes
Præferri bello tamen & ſtudet impiger armis
Otia victrices ſibi quæ peperere phalanges.
Nec ſileam cultuſve tuos pompaſve frequentes
Immenſa aut quanto te includant mœnia gyro
Utque huc advectus longinquis advena ab oris
Obſtupeat paſſim tacitus plateaſque viaſque,
Sive tua ingreſſus viridaria talia juret
Alcinoi regis quondam Heſperidumque fuiſſe.
O ſalve Europæ tellus pulcherrima ocelle,
Salve, nec tecum certet vel barbara Memphis,
Vel Tempe, veteri etſi multum claruit ævo.
Jam mihi jam moreſque tui, tua jura, tuæque
Hacre-

Hærebunt cordi venturo in tempore gentes,
Quas mihi frons hilaris dulci ſociavit amore..
Quantum ego quod reliquum eſt vitæ conſumere ruri
Hic vellem prata inviſens campoſque patentes!
Appropperante hyeme hic populoſæ redditus urbi
Adloquerer ſocios, & menſas inter opimas
Disjicerem annoſo curarum nubila Baccho.
At me fata alio impellunt. Sua Sidera quenque
Volvunt, & raro libertas ſpectat in omneis.

Ad Teleſinum Satyra.

O rem ridiculam ſane &, Teleſine, jocoſam,
Schommata quæ poſſit meruiſſe tuumque cachinnum.
Quippe domum externa redeuntem nocte, meique
Moris ut eſt, thalamo ſuper impoſitum, ac meditantem
Neſcio quid me ſomnus habet. Mirabile dictu!
Extemplo flores, arbuſtaque nobilis agri
Tondentem morſu immani, rictuque profano
Et videor ſata vaſtantem jam cernere Aſellum.
Qui, accidere ut ſolet, ignavo, bardoque colono
Infarcit quædam ſtolide mendaxque ſuapte
Natura ſpondet concredita ſtercora ſulcis
Semeſa & folia & populatas arbore frondeis
Telluri adjumento in ut ſeges aurea ſurgat.
Hæc animadvertens Leo dum illac figere greſſum
Cæpiſſet deflens ſortem infelicis agelli:
Cultores cobibere aſinum, ſi dis placet, inquit.
Omnia peſſum ibunt, ni diram avertere peſtem
Sit cura, auxiliumque inſtanti ferre ruinæ.
Tum pecus Arcadium naſum conrugat, & ira
Amenti cæcum calces jacit, atque Leoni
Imminet, & campo prope jam bellatur aperto.

Digitized by Google

Sed Leo quadrupedem hunc miſeratus ſubſtitit, & nil
Contra auſus riſum placido geminavit ab ore.
Quorſum hæc? Mane nitet. Stertentem Servulus alte
Me excitat. Id totum tenues vaneſcit in auras.
O mens venturi præſaga! Etenim cito nobis
Adfert ingenuus valde doctuſque ſodalis
Bucconis prælo vulgata volumina, inepte
Rhetor ubi obtentu pietatis peſſima garrit.
Decerpitque, notatque rudis vice functus aſelli.
Addit & hinc hominem eximium ſimilemque Leoni
Noxia dicta retorquere, & mendacia nulli
Non feciſſe palam & Scholium poſuiſſe libellis.
Nec ſatis eſt, ſequitur, narrans mihi plurima amicus;
Audax nimirum pernicibus ocyor Euris
Græculus ad calamos confugit, ſeque tuetur;
Bella cret, hoſtemque premit, ſed maximus hoſtis
Oppedit bello, jure & ſiluiſſe fatetur.
Talia mirabar tacitus diſcrimine nullo
Inter ſe pulchre veluti conjuncta coiſſe;
Cum, Teleſine, animo ſedit ſententia, veras
Interdum præ ſe ſpecies inſomnia ferre
Nec ſemper pictura homines illudere inani.
Hinc alia ex aliis expendens, ut ſoleo, acri
Mente revolvebam, & ſcrutabar an eſſet habenda,
Ætate hac nauci lamiarum forte poteſtas.
An cœli tractus & inania ſcindere poſſent
Corporis humani nondum compage ſoluta.
Ajebam & mecum: Nonne edita dogmata, nonne
Charta diu vigilata, amplum & diffuſa per orbem
Uſque huc difficilem potis eſt elidere nodum?
Cerdo, lixa aliter credat. Modo res patet ipſa
Per ſe, carnifici quanquam jugulata manu, det
Immerito pœnas, populo ſpectante, Renata.

Ad

Digitized by Google

Ad Fratres Gozios.

Proh! facinus aluere malos hæc ſæcla poetas,
Interiitque lepor ſcribendi & gratia verſus.
Siquis & exurgit bonus hæc per ſæcla poeta
Vivit inops. Hunc & naſo ſuſpendit adunco
Troſſulus & nebulo atque mihi inviſus Sycophanta
Quare vos ambo vatum par nobile Gozii,
Qui docta veteres æquatis voce poetas,
Hæc mecum deflete, imo geminate cachinnum.
Nam vos vivetis longum poſt funera veſtra;
Hi miſeri ante obitum morientur & ultima fata.

Marco Fuſcareno Equiti ac D. Marci Procuratori eloquentiſſimo viro literatiſſimo.

Siquid debemus cuiquam non, Marce, fateri
Ingrati certe eſt immemoriſque animi
Quo vitio ut caream, noſtri hoc ſit pignus amoris,
Hoc ſit ſinceræ mentis & officium.
Nam tu victuræ me chartæ credis, & ipſe
Tecum una tua per ſcripta ſuperſtes ero.

Antonio Zanetio viro apprime literato, delineatori, ac pictori diligentiſſimo.

Quantum Pictura ipſa tibi, Zanete diſerte,
Quam navus cœcis eruis e tenebris;
Tantum me debere tibi nunc ſentio per quem
Hæc mea tam docte pingitur effigies.

In obitum . . . . .

Te fleat extincto Veneta urbs, teque Itala tellus,
Orbis & amiſſo te putet eſſe nihil.

Digitized by Google

Ad Janum Phylophilum Sympoſianum.

Ille mihi vel numinibus par eſſe videtur
Qui potuit ruri degere quum libuit.
Et tumidas parvi regum aulas fecit, & inſons
Maluit exiguo jugera arare bove.
Sed quem divexant urbana negotia, Jane,
Et mala veſanis ambitio ſtimulis.
Ille mihi invidia longe infelicior ipſa,
Et mihi cænoſo vilior ille luto eſt.
Quid faſces, titulique juvant? ſi venditur auro
Sæpe honor, & meritos præmia nulla manent.

Ad Danielem Fratrem.

Quod mihi deficiat locupleti nummus in arca
Fulvaque Erythræo conca revulſa vado,
Frater amabilior vita atque ambobus ocellis
Me miſerum noli hinc eſſe putare magis.
Noctu etenim ſontes compilant ſcrinia fures,
Atque ſolent partæ non ſemel abripi opes.
Verum quem œnæo munivit Delius æſtro
Cuique dedit ſacræ plectere fila liræ:
Dicitur ille ſuperſtes vivere, dicitur ille &
Acceptas nunquam ammittere divitias.

Jo. Paulli fratris ſui mortem deflet.

Quo Frater miſerande ruis? Ten' fata repente
Morſque trahit campos invida ad Elyſios?
Tene illic violæ cingunt, luteumve papaver
Dum tua colluget mœſta relicta domus?
Me miſerum! quando precibus nil flectitur Orcus,
Nec poſſum ſtygios voce movere Deos:

Quod

Digitized by Google

Quod ſupereſt, educta imo ſuſpiria corde,
Hoſque graves gemitus, Frater, habe ac lacrymas.
Dent Superi, & multo ut dolor hic vehementior in me
Exurgat: minuit maxima damna dolor.

De Ruffo.

Miraris cur te fugiant homineſque feræque
Solus & incedas per fora, perque vias?
Fabula neſcio quæ narrat te, Ruffe, fuiſſe
Ex tonitru & nimbis fulminibuſque ſatum.
Scis etenim hæc gravidos populari meſſibus agros,
Et complere metu quidquid in orbe viget.
Horribili ſic tu voce, adſpectuque minanti
Erras hac illac omnia terrificans.
Quare aut cur fugiant mirari deſine, Ruffe,
Aut fieri tandem mitior incipias.

Apoſtoli Zeni mortem deflet.

Etſi te ſenio longaque ætate labantem
Eripuit noſtris pallida mors oculis.
Attamen in luctus effluximus, attamen ira
Commotus ſuperos aſtraque dura nimis
Inveni, & ſolito mundum ſplendore carentem
Orbaque doctarum Pieridum ſtudia.
Utque viator iter faciens per inhoſpita rura,
Quem lux in medio tramite deſtituat,
Sollicitis queritur terroribus anxius, ille &
Vix videt incerto quo pede tutus eat:
Sic mihi per juga virtutum te, Zene, perempto
Clara dies cæcis obtegitur tenebris.

Dum

Digitized by Google

Dum Florentiæ eſſet.

Majorum cineres & buſta erecta meorum
Hic ubi fert celeres impiger Arnus aquas,
Vos ego vos nitidis hærentia molibus ecce
Intueor Thuſcis incola litoribus.
O Salvete diu cineres ſalvete ſepulti,
Corycio flagret mollis & urna croco:
Nam me fraterno mœrentem funere nuper
Impia mors lacrymas egit in aſſiduas.
Eque locis cogor demens loca quærere, donec
A tanto valeam mentem inhibere malo.
Sed tantum ex veſtro capio ſolatia vultu,
Quantum fraterno funere diſcrutior.

Epitaphium Argantis canis.

Latratu vigili qui ſæpe & dente minaci
Noctivagos fures arcuit a domibus,
Argans octavum & decimum cum vixerit annum,
Proh facinus! rapuit lenta ſenecta canem.
Quod niſi flendum eſt? Is truculento includitur orco,
Nec mihi ſat videor tutam habitare domum.

Cœleſtes Puellæ nuptiæ.

Qualiter halanti niveus flos editus horto
Quem mites zephiri ſolque tepens aluit,
Ante aras puro cultoris carptus ab ungue
Ponitur, aut ſacras emicat ante fores.
Haud ſecus ætherii te abſortam vortice Amoris,
Cui comes it pietas virgineuſque pudor,
Libat uterque parens ſuperis, ſuperumque parenti,
Sideribuſque affers, o nova nupta, decus.

De

Digitized by Google

De paraſito quodam.

Hic novus Ergatulus menſas ſibi quærit opimas,
Et ſolet extento plurima ventre loqui.
At ſiquando epulis careat jejunia paſſo
Dicendi ſubito eſt copia facta minor.
Quod cum ita ſit, poterit vel garrula lingua ſilere
Perpetuo ſi nulla obvia fercula erunt.

De Coſſo.

Ajebat rumor celebrem Coſſum eſſe poetam
Atque una eximium Rhetorem & Hiſtoricum.
Hæc nos mirati ceu falſa, refellimus, atqui
Scribendi miſerum iam cacoethes habet.
Nam meditans nova multa, typis concredere plura,
Atque alia aggreditur corrigere & facere.
Pro queis rumor ait celebrem non eſſe Poetam
Amplius, eximium & Rhetorem & Hiſtoricum.
Sed Coſſum, ut vendat ſua tradere carmina prælo,
Præcipue cum ſit pauper & exuriens.

Ad Gaſparem Gozium Comitem de Apoſtoli Zeni morte.

Gaſpar Apollinei cœtus columenque decuſque
Quem fovit tenero Calliopæa Sinu,
Da mihi quam collo citharam ſuſpendis eburnam,
Da mihi quos ſacro fundis ab ore modos;
Ut Zeni interitus & fata noviſſima flendo
Concelebrem mœſtis munus in exequiis;
Nam vitam recti cuſtos is pariter egit,
Soſpite quo virtus nota pudorque fuit;

Digitized by Google

Aut humeris impone tuis (quod ferre libenter
Poſſis) atque ipſum hoc ſuſcipe, Gaſpar, onus.
Te duce non caſura ſenis ſuper aſtra vehetur,
Ibit & ad gelidos fama Boryſthenidas.

De morte Comitis Lewehendal ſtrenuiſſimi Imperatoris.

Magne Heros clypeo metuende haſtaque feroci
Suete vel indomito ſubdere calcar equo.
Non te confodiunt enſes inimicaque tela,
Dum Mars adverſo turbine caſtra movet;
Sed gliſcente levi morbo, & florentibus annis
Heu! molli recubans concidis in thalamo.
Idque magis regi Gallorum forte dolendum eſt
Quod tu non mediis hoſtibus intereas.
Haud ingrata tuo ſed Gallia funere lugens
Erigit inſculptis hæc monumenta notis:
Hic jacet ille meus populos qui vicit & urbes
Dux, quo ſublato mors mihi quanta rapis!

Epitaphium Anti.

Sparge merum atque roſas tumulo, quo conditur Anthus,
Forte Anthum noſti, da tumulo & lacrymas;
Aut quod non noris lacrymas effunde, viator,
Nam bonus & ſapiens & pius Anthus erat.

Amici ſui nuptias celebrat dum Feltriæ eſſet

Ut primum hos inter montes atque abdita ſaxa,
Quæ prius hibernis canuerant nivibus
Nunc induta novo florum decorantur amictu,
Et pictos humeros & latera ampla gerunt;

In

Inſonuit, Leonarde, tuæ vox nuncia tædæ
Et magnæ emicuit gloria prima domus;
Quiſque atavos proavoſque illuſtri e ſanguine ductos,
Regina unde maris claruit Hadriaci,
Quiſque animo plura evolvens, felicia, dixit,
Vincula cœleſti vincula nexa manu.
Quam recte inſtituent exempla vetuſta Nepotes,
Atque beatorum grandia facta ſenum.
Hi figent proprio viridantes poſte corollas,
Et debellatis hoſtibus exuvias.
Audiet hos ſanctus fundentes verba Senatus
Verba & Cecropio dulcia melle magis.
Ipſi etiam hircipedes (ſylveſtria numina) Fauni
Quos bruma in cœcas compulerat latebras;
Cum læti ad ſolitos veniſſent nunc quoque luſus
Ruſtica præcincti tempora fronde nova;
Ætherio æquarunt late tua nomina olympo
Agricolæque omnes huc coiere Dii.
Tum nymphas inter faciles, pulchrasque Napæas
Ad numerum celeres compoſuere pedes.
Roſcida dulciſono reſonant hinc arva tumultu,
Valleſque umbiferis & nemora ilicibus.
Tantum hic antiquum genus & poſuere ſuorum
Diffuſa in gelidis fama decuſque jugis.

Amici ſui cujuſdam nuptiæ celebrantur.

Quanquam nec veluti Odryſio iam contingit Orpheo
Miteſcat numeris bellua torva meis,
Nec poſſim rapidos fluviorum ſiſtere curſus,
Saxaque Riphaeis ducere verticibus.
Hic ubi mollis Hymen luteo velatus amictu
Excutit aureolas luce oriente faces,

Atque

Digitized by Google

Atque Amor & charites plenis dant lilia palmis,
Ipſe tamen ſumpta pauca canam cithara.
Nam pia Panchæo redolent altaria thure,
Puniceoque nitet tincta colore genas,
Quam modo felici junget ſibi numine amator,
Hadriaci virgo gloria quanta ſoli!
Et jam jam purus candenti in veſte Sacerdos,
Atque adſtant hilares Nereidum choreæ,
Qui & caput algoſo Nereus pater extulit antro,
Et riſus comites, innocuique joci.
Ipſa autem inceſſu talis patet inclyta Nupta
Cyntia Sydereo qualis in axe micat.
Scilicet aurato diſtincta eſt ordine palla,
Et gemma compti verſicolore ſinus.
Labuntur fuſi per lactea colla capilli,
Vincit & aſtrorum lumen utrumque jubar.
Atque ea præſtanti ſuffuſa eſt gratia formæ
Ut queat & magno bella movere Jovi.
Parte alia Juvenis Muſarum qui altus in ulnis
Hippocrenæo perluit ora vado,
Jam ſtudia oblitus ſibi cara, novemque Sorores
Incaluit Dominæ captus amore ſuæ,
Et tardas dolet ire dies, adhibetque frequenteis
Coniugii ut ſubeat vincula grata, preces.
At vota hæc blanda Divum pater excipit aure,
A lævaque cito terque quaterque tonat.
Nubilus ex illa fit parte ſerenior aer,
Et verba audita talia voce refert.
Fuge, nam ſoboles connubia clara ſequetur,
Quæ ſit gentis honos Aonidumque decus.

De

De Quinti ſtupiditate.

Non ignem rapuiſſe hominemque animaſſe Prometheum
Marmorea ignavi declarat inertia Quinti.

Aloyſio Quirino Poetæ optimo.

Ut cecinit tua Muſa, Quirine, ingentibus auſis
Solem alium atque alia ſidera fixa plaga,
Et freta quæ nixus celeri trabe diſſita verrit
Tam multas qui urbes repperit ac populos,
Qui & nobis invexitonus grave divitis auri,
Adjecitque orbi non loca viſa prius:
Ipſa ultro tibi fronde ſua perieja Laurus
Evinxit, Phœbo non renuente, comas.
Et Nymphæ avulſas tibi noſtro in litore conchas
Obtulerunt, nivea & vitrea ſerta manu.
Sed vox quæ audita eſt e verticibus Parnaſſi,
Credere ſi famæ eſt, talia dicta dedit:
Cauſſarum auditor non ſolum jura tuetur
Sedulus & Patriæ munera ſancta colit;
Sed duplici (res mira) Quirinus gaudet honore,
Nam ſua Apollineo ſcripta lepore notat.

Leucippes tumulus.

Sparge hoc lacte Sepulchrum annoſo hoc ſparge & Hyacco
Nanque hic Leucippes molliter oſſa cubant.
Quam fuit officioſa, ſagax, bona! pectoris artes
Cuique patent, clari munera & ingenii.
Quorum nos memores tumulo has inducimus umbras,
Ponimus & certa feſta colenda die.
Sed tu Leucippes cineri fer liba, viator,
Atque huic dic abiens: ſemper ave atque vale.

Ami-

Digitized by Google

Amico ſuo Xeniolum.

Accipito, ut mos eſt, Jani mea dona Calendis
Ingenio quanquam dona minora tuo.
Nam tibi quem cumulat Perſarum atque Indica gaza,
Anceps nuper eram qualia dona darem;
Illaque decrevi dare queis me jam tibi vinctum
Fœderibus ſanctæ oſtenderem amicitiæ.
Quæ cum Muſarum ſint munera ſola mearum
Nil mirer ſi tu ut tenuja deſpicias.
Attamen illa meum erga te teſtantur amorem,
Quid tibi donari majus amore poteſt.

De Æmilio puero formoſiſſimo & cœco.

Quum morbo Æmilius caruiſſet lumine utroque
Nobilis & pulchro cognitus ore Puer;
Dicitur Idaliis multum fleviſſe ſub umbris
Moxque ſuum gnatum ſic monuiſſe Venus:
Ah care ne rapiat quiſquam tua tela: ſagittæ
Æmilio deſunt alter ut erret Amor.

De Stroza Patre & Filio.

Stroza pater, filique ambo mea ſumma voluptas,
Quos legat atque ætas poſtera ſemper amet.
Phœbum ego crediderim atque ipſas dictaſſe Camœnas
Aurea quæ fudit carmina veſtra chelys;
Carmina quæ purus linguæ nitor, atque venuſtas
Expolit, & ſolers perficit ingenium.
Felices animæ! Quantum mea tempora vobis
Debent & veſtra, & Patria, & Aonides!
Cum vos præ manibus habeo, me deſerit ardor
Scribendi, ſcripſi ſiquid & ante, pudet.

De

Digitized by Google

De Criſpo Juvene nobiliſſimo ob crimina morte mulctato.

Ille ego ſum Criſpus toto celeberrimus orbe
De quo magna recens naſcitur hiſtoria.
Non genus aut fulvi mihi copia defuit auri,
Qui & mihi ſe multa vinclat arte cliens.
Non famuli, non culta domus, pretioſaque veſtis,
Non quot quiſquam alius jugera dives arat.
Ingenio multis & multis ante eo forma.
Flos juvenum, interea, & quod caput eſt, valeo.
Heu ſors dira! tamen laqueo ſuſpenſus obibo.
Quidquid opum eſt uſquam Jupiter ab pereat!

De puero ſuo poeta.

Quæris cur ſiquid ſcribam ſermone latino
Utar, & huic linguam poſthabeam Italicam?
Servum habeo male qui peragit mihi cuncta, tamen qui
Italicos verſus non ſine laude facit.

Fabularum Æſopiarum Gallico ſcriptori eximio.

Neſcio quis monens habuit tua carmina ſecum
Scilicet ad campos quæ tulit Elyſios.
Illa dedit Flacco, magnoque legenda Maroni,
Romanum eloquium vivere uterque putat.
Cumque tui Phrygio Æſopo fortaſſe libelli
Veniſſent tandem ut par erat, ante oculos:
Obſtupuit, dixitque: Aut hæc nos fecimus ipſi,
Aut nil eſt factum pulchrius & melius.

Digitized by Google

Mothæo Pariſienſi Med. Doctori celebratiſſimo, cum amicum ſuum ægrotantem morbo periculoſiſſimo liberaſſet.

Si potes Caſtalides noſtro mea cura Sorores
Mothæo grates reddite carminibus,
Grates, quæ antiquæ referant ætatis honores
Pro quibus, ut par eſt, ille ſuperbus eat.
Nanque Machaonia juvenis qua Phœbus in arte eſt
Clarus, digna ſuo nomine plura facit.
Membraque vulnifico morborum infecta veneno
Ex Acherontæo ſcit revocare lacu.
Quæ cum prætercam non id fortaſſe ſilendum eſt
Quod ſola iſtius nunc quoque vivat ope.
Riccus Muſarum ſolatia, Riccus honeſti
Et plenum ſanctæ pectus amicitiæ.
Qui prompta ſua dona manu largitur egenis,
Atque ſimul laudes urbis & Orbis habet.
Cujus Apollineis reſonant concentibus ædes,
Liminaque ingenuis artibus una patent.
Infelix! Diti cum proxima regna teneret,
Et tam caro nox ingrueret capiti;
Fleverunt famuli, mœſti flevere ſodales,
Quidlibet everſæ ſigna domus dederat;
Ipſe ego qui magno Riccum complector amore
Parcere deciduis haud potui lacrymis.
Sed quid? Mœrori ſuccedunt gaudia tanto,
Jamque favet dextris Jupiter alitibus.
Actutum ſuccos & pocula miſcet amara
Mothæus, medicas applicat inde manus.
Tum cito diffugiunt contagia corporis ægri,
Perfruimur Ricco tum cito & incolumi.

Er-

Digitized by Google

Ergo his pro meritis, ſanctæ mea cura ſorores
Mothæo grates reddite carminibus.

De Jacobo Bonfadio.

An quia tam docte, tam culte, tamque latine
Bonfadius Ligurum ſcripſerit hiſtoriam:
Extremum a vobis ſupplitium meruit?

De prædiolo ſuo S. Ambroſiii
Jano Sympoſiano.

Prædia parva quidem ſed commoda, Jane, coemi,
Quanti ne quæras, ſunt ea grata mihi.
Septimo ab urbe, reor, lapide & diſtantia quarto,
Fuganeæque Arci forte propinqua magis.
Infra Medoaci ripas quæ conſita jactum
Teli, Aganippæis ſint mage digna choris.
Non laribus ſua gratia deeſt; hærere columnis
Atria jam prima cernere fronte potes.
Et tecti in duplices ſcindunt ſe cetera partes
Hinc atque hinc variis uſibus apta ſatis.
Haud longe a dextra præſepia nigra, penes quæ
Eſt caſa quæ feſſos excipit agricolas.
Non inamœna Domum cingunt viridaria, & umbra
Sufficiunt denſa vitea ſerta coma.
Hic vernant nivei flores per Dædala prata,
Hic & purpureas educat aura roſas.
Circuit id totum exiguus quod diximus amnis
Et mihi præteriens mœnia condit aqua.
Jane decus Pomonæ ingens qui noveris herbas
Herbarumque uſus quot novus orbis habet,

Digitized by Google

Nulli quem fugiunt frutices fruticumque figuræ
Nec raræ ſpecies arboris ulla latet;
Si vacat, huc tete confer, ſub te arva, vireta
Totus & hic noſter ditior hortus erit.
Ipſe canis Syrii mecum vitaveris æſtus,
Seceſſuque trahes gaudia læta bono.
Me juvat heu! falſos cives, urbemque peroſum
Naturæ & cœli munera certa ſequi.

In Aulum peſſimum poetam.

Aonides riſere quod ipſas invocet Aulus,
Chartæ pernicies Aulus & exitium.
Qui genio indulgens verſus ſine fine pudendos
Evomit, æternas & cacat Iliadas.
Quique Sophoclæ ſuras vincire cothurno
Plautinoſque audet commaculare ſales.
Hinc magis atque magis geminato Muſa cachinno
Ridet & hoc Aulo mittit Epiſtolium:
Non mihi ſed ſcombris fætentibus, imo latrinæ
Debentur fœtus, ambitioſe tui,

Lycotæ votum.

Cum pius impleſſet geminata meſſe Lycotas
Horrea, & exiguus jam ſatis eſſet ager:
Accivit Cereremque & agreſtia numina Panes
Teſtatuſque hilaris gaudia mentis, ait:
Has vobis aras vivo de gramine pono,
Di quorum grato dona animo accipio.
Ars ita floreſcat ruris, ſtudiumque colendi,
Nec facti famam obliteret ulla dies.

Eü-

Digitized by Google

Eugeniæ Sororis ſuæ amatiſſimæ mortem deflet.

Ergo erat in fatis ut ademto utroque parente,
Unde mi adhuc riguis fletibus ora madent;
Poſt Aviæ funus, cari ut poſt funera fratris,
Orbarer miſere te quoque cara Soror?
Præcipue cum ſejunctus terraque marique
Dilecta errarem tam procul a Patria.
Heu! mihi quæ diro dat te manus impia leto,
Qua, Soror, immiti falce, reſecta cadis!
Tu pia, tu bona, tu patiens, tu vivere ſueta,
Puriter ad ſancti numinis inſtar eras.
Te parvi humanæ facientem commoda vitæ
Divinus certo fixit amor calamo.
Quo fit ut abſcindas flaventi e vertice crines,
Virgineoſque aveas (nec mora) adire choros.
Sacræ ubi ſe moles Aloyſi ad ſidera tollit
Antiquæ moles artis & ingenii.
Quid ſibi tranſactas ſomni ſine munere noctes,
Quid tibi vel nullo corpora ſota cibo,
Commemorem? ut cœlo puras effundere voces,
Pertrahere & poſſes in tua vota Deum.
Tum vero geminæ præcepta hauſere Sorores
Ex te, quas tuus & protinus ardor agit.
Sed longo obruitur nunc una atque altera luctu
Arguta ferit & pectora nuda manu,
Dum videt extremo exhalantem ſpiritum ab ore,
Et te perpetuæ noctis inire viam.
Quanto infelicem me fata impenſius urgent,
Attamen! ut fuſas in lacrymas abeo!
Nanque abſum, retinetque nihil me tale timentem
Quæ fluit omnigenis Gallia deliciis.

Digitized by Google

O Di qui poſſum ad patrios remeare penates!
Adventu creſcent nam mea damna meo.
Quo me animo excipiet redeuntem turba meorum,
Qui neque mœrori huic jam ſupereſſe putem?
Sed ſeu me dolor extinguat, ſeu vita manebit;
Cura erit hæc tumulum inſcribier ante tuum:
„ Cara meo Fratri Soror hic jaceo, idque grave eſt mi,
„ Quod, cum forte redux ille foret, perii.

Hominem ſuperbiſſimum increpat.

Deſine te nimiis, Inſane, efferre, tuoſque
Laudibus, ad riſum me tua verba movent.
Quid caput obtundis? quid nunquam dicere ceſſas,
Quam tua ſit vere nobilitata domus?
Quantus & herouem ſurgat tibi qualis & ordo
Qui bello ſemper claruit, atque toga.
Hæc tua permultos deliria ſæpe fatigant,
Non auſus quiſquam eſt attamen ante queri.
Nec mea gens ſine honore manet, ſed tollere criſtas
Propter honoratos turpe putamus avos.
Tu mihi nobilior poteris tum forte videri,
Mens tibi cum mores induat ingenuos.

De Carolo Rezzonico Pont. Max.

Non quia te genuit clarorum ex ordine Patrum,
Quæ multorum altrix Adria ſemidelm eſt;
Nec quia purpurea merito tua tempora vitta
Cingere ſanta Parens, maxima Roma dedit.
Illa eadem quæ nunc ſacro te & præficit Orbi
Roma, & ſollicita gaudia mente capit.

Sed

Sed lætor quod in uno te pietaſque repoſta eſt,
Et pudor, & veræ religionis amor.

Ad eundem.

Sancte Parens, rectorque hominum, ſtirps edita cœlo,
Claviger infernæ ſedis & ætheriæ.
Quandoquidem eſt hodie tibi nautæ credita puppis
Quæ ſecum humani portat onus generis;
Aſpice turbatam Europam, regeſque duceſque
Inter ſe dura bella ciere manu.
Aſpice ut invidia mortalia pectora flagrent,
Incumbatque odiis flebilis ambitio.
Aſpice ut inſanus furor auferat omnia, ſitque
Circum terra novo facta cruore rubens;
Atque hinc me miſerum miſeris pro vota ferentem
Suſcipe, nanque alto corda pavore tremunt.
Ut matris puer in caras ſe coniicit ulnas,
Cui mendax vanum larva metum incutiat.
Sic ego dum populi, genteſque & diſſita regna
Debita jam ſanctis oſcula dant pedibus,
Ad te confugio, lacrymiſque urgere laboro,
Unde ſalus veniat munere parta tuo.
Fallor? an aſtriferi portæ reſerantur Olympi
Demis & irato tela triſulca Jovi?
Euge age da terris pacem finemque malorum,
Mitia tu nobis numina redde magis.
Siquis & eſt furor armorum, bellique gerendi,
Sæviat in Getica Sithoniaque plaga.
Atque ea ſit regio regionibus addita noſtris,
Et noſtros mores ſentiat atque Deos.
Tempus erit cum preſſa jugo cum compede vincta
Amiſſum reparet Græcia culta decus;

Digitized by Google

Et ſtudia atque artes & priſca reſloreat ætas,
Squallida ubi nullis frugibus horret humus.
O Patria urbs medio ſurgis quæ maxima ponto
Quam tibi quam toto gratulor ex animo.
Ecce iterum tua fama vagis ſe ſe inſerit aſtris,
Ecce iterum domiti fers orientis opes.
Vera loquor. Tu Pontifici civique verendo
Aſſurge; ille tibi regna beata facit.

In obitum Jo. Antonii de Luca.

Arriſit, Phœbi tibi candide alumne, Dearum
Turba novena, deditque aureos expromere verſus.
Hinc mors invidia flagrans, ne vita ſuperſit
Quæ tibi pollicita eſt manſuræ laudis honorem,
Eripuit mihi te primo ſub flore juventæ.
Sed ſcelus atque pater fraudem indignatus Apollo,
Indoluit, te &, per nos, & tua carmina ſanxit
Vivere venturam poſthac celebrata per ævum.

Ad Aloyſium Zenum plebis tribunum,
& Ludovicum Arnaldium Comitem.

Quas epulas tibi, Zene, tibique Arnalde diebus
Appoſui menſa paupere præteritis,
Incomptamque domum ne incuſa, aut vilia ruris,
Inſuavemque viam, aut hæc ſimul, & Dominum.
Nam Domini occurſu quo ſis exceptus amice
Eſſe nihil toto dulcius orbe poteſt.

Teſticulorum Principi Sapientiſſimo.

Ille chori Princeps noſtri dux ille, ſodales,
Qui beatæ inſigni velat honore caput,

Quem

Digitized by Google

Quem circum pueri atque ſenes per compita plaudunt,
Omnia dum miro diſcutit ingenio;
Ille ad Bactra tulit cœtus inſignia noſtri
Atque ſophos inter ſol micat ut rutilus
Unde parens tribuit rebus natura colores,
Poſtquam nox pullos atra reduxit equos.
Hunc & præſidium ſtudiorum rite vocamus,
Quo dicente hominum cætera turba ſilet.
Nec fruſtra hunc cupimus noſtra hæc in Templa locari,
Ne pereant ſummi tot monumenta viri.

Jani Philophili Sympoſiani ad Th. Joſ. Farſetium Elegia.

Dum me longinquis profugum remoratur in oris
Hoc non invitus quod ſubii exilium.
Hic ubi perpetuis nivibus cani undique montes
Arcent humano pene ſodalitio,
Sæpe recordanti tua Joſeph cognita virtus,
Et tua mi probitas & benefacta tua,
Queis tantum debere tibi dum vixero fas eſt,
Quantum patrono debuerim atque patri,
Et mite ingenium & non obvi hoc tempore mores
Atque alia occurrunt ſæpe animo atque alia;
Atque illa imprimis regum haud mi vilior aulis
Parva quidem verum o quam bene culta domus!
Grandia ubi patrii pertæſus commoda tecti
Noctes Di! lætas conteris atque dies.
Non ſacra pallentes contingunt limina curæ,
Mœror abeſt, rident omnia, triſte nihil.
Hanc Di amant ſedem, nec raro accedere viſa eſt
Cum nato Cytherea & Jocus & Charites,

Et

Digitized by Google

Et Ceres extremoque vocatus Liber ab orbe,
At nec Phœbus abeſt Pieridumque cohors.
Salve dis, & cuique bono domus hoſpita ſalve,
O ſalve votis ſæpe petita meis.
Quam te diſcuperem dulceſque reviſere amicos
Qui perſæpe tuo ſub lare conveniunt,
Seu plena appoſita ſpument charchesia menſa,
Fallere ſeu modico duram hyemem igne juvat:
Gozzius interea genio obſequioſus herili,
Gozzius ille meæ pars animæ melior,
Dulcia feſtivo deducit carmina plectro,
Auribus arrectis cetera turba ſilet.
At me hic extrema terrarum in parte locatum
Circumſtant canis nil niſi ſaxa jugis;
Horrida tempeſtas cœlum contraxit, & imbre
Cominus, & rauco ſylva Aquilone ſonat.
Pro quibus, his ego nunc oculos, his occupor aures;
Frigora neu redeam & ſæva coercet hyems.
Indignata ruunt præruptis flumina ripis,
Plurima nec tutam nix ſinit ire viam.
Quid faciam? tepidi jam aura expectanda Favoni eſt
Ut me Urbi & caris reſtituam ſociis.

Joſ. Barſottii S. P. Lucenſis
ad Joſ. Farſetium
P. V.

Ut celebrem Hermolaum ſplendentem murice & auro
Sæpe rogas, Joſeph, & me invitum edere cogis
Carmina. Debeo cui multum renuam dare paucos
Verſus? Non ego: ſed thuſco renuam dare plectro.
Hoc mi unum ignoſces. Hetruſci hoc tempore vates,
Quip-

Quippe, tot exurgunt, Pindi ut decerpere laurum
Audeat ille etiam, & forſan ſibi plaudat, amictum
Cui lacerum tundit veniens ex æthere multa
Unda, vel invito quem bajulus urget euntem
Pondere; ſed qui vel potu, choreiſve recentes
Oſtentant aurum digitis, album & caliendrum,
Unguentiſque grave, haud illis Polyhymnia certet.
Si horum ut mos eſt Petrarchæ, Bembique labore
Hermolai vellem præclaras dicere laudes,
Veras Hermolai laudes tenuare viderer,
Et faſtiditis implere volumina furtis.
Quod ſi ſimplicibus Latii celebrabitur Heros
Carminibus, tunc nec rebus fucum faciam, nec
Formidem piper, aut ſcombros, te judice, vel thus
Joſeph, cui Latius naſcenti arriſit Apollo,
Tarpejæque Deæ Latia exemplaria præbent
Nocturna verſanda manu, verſanda diurna.
Unde abii redeo, atque Hermolai dicere laudes
Nunc tandem adgredior nudo privoque nitore.
Non quia nobilitas auctum ſplendore parem illum
Reddit avis ataviſque, ideo cui rubra Senatus
Munera det veſtis de multis ſeligit unum:
Nam qualis centum oſtentat complexa Nepotes
Semideoſque, Deoſque omnes Berecynthia Mater;
Sic fœcunda ſuos illuſtres Hadria jactat
Heroas, noſtræ & ſtirpis decora alta vetuſtæ
At quod præ reliquis populus veneratur amatque
Quem ſemper vidit patriæ utilitatis amantem;
Quod proceres omnes regali munere donant
Quem ſequitur probitaſque fideſque & candida virtus,
Brixia quod vidit, Veronaque, Palmaque ſenſit
Moribus & ſtudiis inſtructum pectus honeſtis
Jura dare, & miſeris placido modo parcere vultu,

Nunc

Nunc premere imperio ſontes, atque omnium amorem
Attamen & plauſum, & præconia vera mereri.
Hæ Venetæ, Joſeph, ſunt artes, quarum ope honores
Purpureæ meruit trabeæ, attonitique popelli
Captat nunc plauſus ardens in murice & auro
Qui ſemper ſtudia, & mores, animumque virilem
Exhibuit populis aptum, rebuſque gerendis
Barbarus Hadriaci Decus immortale Senatus.

Digitized by Google

JO. BAPT. CARMINATI

VENETI PATRICII

PROTEUS

Digitized by Google

Digitized by Google

TE decus Auſoniæ, patriæ decus, atque voluptas,
Atque amor & Veneti cura ingens EME Senatus,
Te canit Hadriaco vates nans æquore Proteus
Dum te Nereides Euxini e litore ovantes
Gratantur reducem, Tyrio dum ſplendidus oſtro
Et Patrum, & vulgi ſtudiis, plauſuque frequenti
Exciperis, reſonatque cavum tua nomina litus.
Nec te litoreæ, quamvis fors ruſtica, quamvis,
Magne heros, longe illa tuis ſit laudibus impar,
Pœniteat Muſæ. Phœbus tua ſcilicet olim,
Qua patet, & gemino Siculis terra Itala ab undis
Circum lota mari gelidas procurrit in Alpes,
Maxima facta canet, meritiſque æquabit honores.
Interea facilis dexterque his annue cœptis,
Atque cani Divum jam nunc aſſueſce Camænis.
Vix e conſpectu Illyrii qua murmurat ingens
Multiplici invergens pelago undas amne Timaws,
Vela dabat, patriaſque oras, portuſque petebat
Quem toties, tantiſque optaverat anxia votis
Hadria maternis reducem complectier ulnis, (mente
Cum ſubito inſuetumque animum, & nova gaudia
Concipiens Triton, cui cura in tecta parentis
Neptuni, undiſonos quæ temperat undique fluctus,
Æquoream ponto diſperſam arceſſere gentem
Litoribus, ſcopuliſque cavis, imoque profundo,
Injuſſus Nymphaſque omnes, Divoſque, Deaſque
Evocat, & totum concha ultro perſonat æquor.
Conveniunt quicumque algis, quicumque repoſto
Nympha, Deuſque latent ſub gurgite, quique frementi
Exe-

Exeſas fluctu cautes, qui litora pictis
Sparſa colunt conchis, mediaque teguntur arena,
Et ſpumantem undam in ſcopulos Aquilonibus actam
Et fluviorum oras, & amantia Numina portus.
Nereidum hinc choreas & Doris ducit, & Ino,
Et Panope, & Galatea, alba omnes tempora vitta
Præcinctæ, niveis omnes in veſtibus, omnes
Per colla auratos effuſæ candida crines,
Marmora nudatis findentes ſumma papillis:
Hinc virides muſco, atque alga, nexiſque revincti
Purpureis, variiſque in ſerta nitentia conchis
Portunus, Glaucuſque ſenex, Phorcuſque capillos
Agmina Divorum præeunt, bifidiſque ſecantes
Cæruleos caudis tractus late æquora miſcent.
Irrequieta mari interea vada fervere ab imo
Neptunus fundo, & Divum increbreſcere ſentit
Murmura, muſcoſumque caput ſumma exſerit unda:
Tum ſtudiis lætus natorum quo maris iras,
Quo vultu nimboſque, Notumque, Eurumque ſerenat,
Annuit, atque ſuos jam creſcere ſentit honores.
At gregis æquorei cuſtos, ſub gurgite phocas,
Et Nereo bipedes qui muſco in littore, & alga
Paſcit equos, paſtos virga ad ſtabula alta reducit,
Ut tum forte pecus numerans ſuper æquora piſtri
Vectus erat, ſonitum miratus, & alta revolvens,
Carpathio audierat quæ plurima gurgite quondam,
Oceanique patris, Thetidoſque oracula mente,
Qua inſueta auricomæ denſantur in agmina Nymphæ
Præceps flectit iter, turpeſque impune vagari
Qua libet, attonito ſimilis ſinit immemor orcas.
Jamque choris immixtus erat, venerataque vatem
Circumfuſo ſenem, late gens humida amarum
Diſpergens manibus rorem Diis digna canebat
Car-

Digitized by Google

Carmina pone ſequens: cum cominus æquore puppim
Invectam placido, lente impellentibus Auſtris,
Adventare videt, jamque æſtro percitus, & jam
Qui Deus agnoſci poſſet, non vincula paſſus,
Non vim, fatidicis ſic vocibus ora reſolvit:
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Tuque o! cui Nymphæ, pelagi cui Numina pompam
Inſtaurant, placidæ cui ſpirant lenius auræ,
Cui mare ſubſidit, patriæque, ævique, tuæque
Gentis honos, gentis decus, & laus maxima tantæ,
EME, maris dilecte Diis, cariſſime cælo,
Te licet Euxino reducem faſtidia longæ
Tanta viæ, undiflui teneant & tædia ponti,
Finde lubens, tuta lætus finde æquora puppi,
Non tibi compoſiti ingenium, aut pellacia ponti,
Nec metuenda fides: cælo hæc demiſſa ſereno eſt
Undis firma quies, quam nec turbare recludens
Ventiſque & nimbis rex Æolus antra, nec æquor
Percutiens, ſcopuloſque queat pater ipſe tridenti.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Hæc pelago facies, ventis hæc otia tunc quum
Summus Agenoreis decedens Jupiter oris
Adnaret patriæ tauri ſub imagine Cretæ,
Atque ſuos ſecum per cærula ferret amores.
Quum te formoſam, & dignam Jove, Sidoni, cum te
Ardua nutanti prenſantem cornua dextra,
Inque ſinum legere undantem adſlantibus auris
Sollicitam læva tunicam, te, Sidoni, Amorum
Turba frequens circum advolitans, dulceſque hymenæos
Et nova furta canens manibus per mutua junctis
Tingueret interdum ſummas placido æquore plantas.

D Plau-

Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nimphæ.
Accipe quæ te digna ferunt tibi munera Nymphæ,
Criſtallum ſcopulis, & conchas litore, & imis
Tritonum manibus divulſa corallia ſaxis,
Atque diu toto quæſita electra profundo.
Ipſe ego quæ calathis damus hæc tibi lilia plenis
Has mixtas lauro myrtos, violaſque hyacintho,
Dum vicina gregem obſervans per litora nuper,
Litora culta vagor, Thetidi donanda legebam.
Quin etiam procul, & longe externo æquore vectus
His paſtus mea cura algis, his crevit in undis
Quo ſaturo fucata nitet tibi murice veſtis.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Quæ tibi Nereides, tibi quæ Thetis ipſa, Venuſque,
Orta Venus pelago, Hadriaci Venus incola ponti
Dona ferent, canos tunc quum tibi regia crines
Vitta, marique ſatæ præcingent tempora gemmæ!
Quo tunc, EME, tuas extolli ad ſidera laudes
Carmine, quo late ferri tua nomina plauſu
Auribus accipies, totumque ſonare per æquor!
Namque canam, primis tenero ut ſub pectore ab annis
Foveris ingenitum patriæque, & laudis amorem;
Ut tibi primus amor ludi labor improbus, ut te
Doctrina ingenium mirata, boniſque colentem
Artibus, eloquioque animum tanta indole nixum
Diva ſuas tecum facundia creſcere vires
Senſerit, inque tuo ſedem ſibi legerit ore.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Hinc magna orantem proceres, ſanctique Senatus
Obſtupuere Patres, ſeu publica commoda dictis
Ornares, vaſta rerum ſub mole laborans,
Seu reſponſa dares, Patriæ dum proſpicis omni,
Hinc Patriæ rebuſque arctis, & tempore iniquo
Ex-

Digitized by Google

Exhauſtis defeſſa opibus, fractiſque timore
Pœne animis res firma tuis ſtetit omnia. vincens
Publica conſiliis, vimque, & bella, impia bella
Pertulit, & placida fruitur nunc tuta quiete.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Non ego te gelidas ſileam trans ultima miſſum
Itala regna Alpes patriæ mandata ferentem
Dives ubi, belloque potens, excultaque ſanctis
Artibus, in latas pandit ſe Gallia terras,
Alta triumphali quum Sequana cornua lauro
Præcinctus, cubito auratæ dum nititur urnæ
Te jungentem animos, dextraſque, & firmius arctæ
Vincula amicitiæ nectentem antiqua videret;
Quumque nova captus dulcedine corda, loquentem
Dum ſtupet, ingenium miratur, & aurea dicta,
Hadriacas cuperet ſua flecti flumina ad undas.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Quid memorem patriæ linquentem dulcia rurſus
Tecta domus, dulceſque iterum cum conjuge natos,
Sepoſitoque diu Byzanti in litore mentes
Flectentem adverſas, iraſque, & barbara largo
Pectora dulciſonæ mulcentem flumina linguæ?
In corda inſuetum tum denique Thracia primum
Irrepſiſſe ferunt recti & virtutis amorem:
Nam te jam nimium abſentem, patriiſque vocatum
Legibus huic te olim cupientem reddere cœlo
Ægre paſſa ſuis tandem decedere terris
Te gens illa ferox votiſque & mente ſecuta eſt,
Atque tui ſtudium memori ſub pectore ſervat.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
I decus o Patriæ quo te exaudita tuorum
Vota vocant: tibi tecta hilares, tibi compita linquunt
Matres, atque viri, ſenibuſque immixta juventus;

 Lito-

Digitized by Google

Litoribuſque omnis, portuque, effuſaque cymbis
Urbs deſiderio reducis, ſtudioque videndi
Geſtit, & alta tuis late æquora laudibus implet:
Nec jam lenta domum, poſteſve aut limina ſervat,
Obviaque occurrens extremo in litore conjux
Jam vicina tuis digito tua lintea natis
Indicat; ipſa hærens oculiſque, & pectore puppim
Proſequitur, tardamque vocat, ſibi gaudia lente,
Dimidiumque animæ, lente ſua vota ferentem.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Ah quoties dum te illa gemens te deperit unum,
Te vocat abſentem viduo deſerta cubili
Sola diu, & miſerum natis ſolatur amorem,
Natiſque amplexus, natis cara oſcula jungit;
Æquora tot luſtranda tibi, tibi mente revolvens
Tot maris atque viæ ſubeunda pericula, amorem
Ipſa ſuum incuſans, ne te committere ventis
Ac pelago auderes, neve ad tua tecta redires,
Et caro æternum optavit caruiſſe marito
Jam metuens Patriæ, metuens tibi multa, ſibique.
Dii bene, quod faciles implent tua lintea venti;
Jam reducem videt illa, tuo jam brachia collo
Implicat, optatoque explet jam lumina vultu,
Lumina nunc primum largo non humida fletu.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
I decus o Patriæ, tanto quo parta labore
Te tua dona manent, patrioſque reviſe Penates.
Ad tua te populus, te cives tecta reducent
Purpurea inſignem trabea; longo ordine Patres
Adjungent tibi ſe comites, oculoſque animumque
In te unum ferri cunctorum atque ora videbis.
Interea ſive ipſe domum, ſeu templa, viaſque,
Compitaque aulæis, auroque ornata pererres,

Quo

Quo te cumque pedes ducent, te pompa, decuſque,
Te laus, te plauſus, tua te benefacta ſequentur.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
At nati tua cura tui, ſerique nepotes
Te proavo illuſtres, & ſanguine cetera avito
Felix orta Patrum, Patriæ ſpes magna juventus
Dum te tot meritis clarum, tot honoribus auctum
Aſpicient, noſtriſque legent tua nomina faſtis,
Jam tibi certantes, tuaque hæc exempla ſecuti
Jam ſanctas coluiſſe artes, jam ferre labores,
Et veneranda ſequi diſcent præcepta Suadæ.
Scilicet ut Venetum fama inclyta, te duce, priſcis
Te cumulante novos Patriæ, & tibi laudis honores,
Europam, atque Aſiam, & totum diffuſa per orbem
Antiquos rediiſſe annis volventibus annos
Gaudeat, atque armis & pace, foriſque domique
Floreat, æternumque diu ſplendeſcat in ævum.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

	ERRATA.	CORRIGE.
c. III.	per paucos	perpaucos
c. V.	in quam	inquam
c. VIII.	acceptum ſibi	acceptum tibi
	cæteriſque	ceteriſque
	nullius impenſis	nullis
c. IX.	qualeſcumque ſint	ſint,
c. 1.	*ab illa*	*ab illa,*
	leves auræ	*leves auræ,*
	ſumpſi	*ſumſi,*
	Et pia, quam	*Et, pia quam*
	id omne	*id omne,*
c. 3.	*Leucippen*	*Leucippen,*
	Calliroe	*Calliroe.*
c. 4.	*vigeat*	*vigeat,*
	Fædiſragos. Æqua	*Fœdiſragos, æqua*
	lactis	*lactis,*
	Gaudia quæ	*Gaudia, quæ*
	Inteream cito	*Inteream cito,*
	Nec potes	*Nec potis*
c. 5.	*quorum*	*quocum*
c. 6.	*fila rejecta*	*fila reſecta*
	Amfractas	*Anfractus*
c. 8.	*Pulchra & & qua*	*Pulchra illa & qua*
	Arrigere eſt.	*Arrigere eſt:*
	plectumque	*plectrumque*
	ſumptus	*ſumtus*
c. 9.	*ſideribus.*	*ſideribus;*
	græmium	*gremium*

c.10.

Digitized by Google

c. 10.	*vauciſoni*	*rauciſoni*
	Amarillis	*Amaryllis*
	Amarilli	*Amarylli*
	cætera	*cetera*
	non ſibi rebus	*non ſibi rebus*
c. 11.	*ſolameo amico*	*ſolamen amico,*
	maleſano in amore	*maleſano. in amore?*
c. 13.	*Megæra.*	*Megæra,*
c. 14.	*Lænite*	*Lenite*
	Te pateant oculis	*ne pateant oculis*
c. 15.	*Jam dici*	*Tam dici*
c. 19.	*Quaeis*	*Queis*
	maleſnada	*maleſuada*
	Rhænuſque	*Rhenuſque*
	anhælat	*anhelat*
c. 20.	*Qui doctus*	*Qui doctas*
	clamides	*chlamydes*
c. 21.	*puppem*	*puppin*
	refulxi	*refulxti*
c. 22.	*effecto*	*effœto*
	Camenis	*Camoenis*
c. 23.	*feciſſe labores*	*feciſſe labore*
	cera & fatorum	*certa & fatorum*
c. 23.	*Quaeis capite*	*Queis capite*
c. 24.	*Sophæ*	*Sophiæ*
	Aganippodos	*Aganippidos*
c. 25.	*Hacrebunt*	*Haerebunt*
	adiumento in	*adiumento iri*
	Cultores cohibere	*Cultores cohibete*
c. 26.	*Bella cret*	*Bella ciet*

c.28.

c. 28.	*œnæo*	*ocnæo*
	liræ	*lyræ*
	ammittere	*amittere*
c. 29.	*Exurgat*	*Exſurgat*
c. 30.	*Quod niſi flendum eſt .*	*Quid niſi flendum eſt ?*
	Zephiri	*zephyri*
c. 31.	*pariter egit*	*puriter egit*
	exuriens	*eſuriens*
	calliopæa	*calliopea*
c. 33.	*poſuere ſuorum*	*potuere tuorum*
	umbiſeris	*umbriſeris*
	contingit	*contigit*
c. 34.	*gloria quanta ſoli*	*gloria quanta ſali.*
	Fuge nam	*Euge nam*
c. 35.	*perieja laurus*	*peneja laurus*
c. 36.	*Ah care*	*ah cave*
c. 37.	*Neſcio quis monens*	*neſcio quis moriens*
c. 38.	*Si potes Caſtālides*	*Si pote Caſtalides*
c. 39. v. 4.	*Deeſt verſus exam.*	
	Fucanæque arci	*Euganeæque arci*
	viridaria & umbra	*viridaria & umbram*
c. 40.	*quique Sophoclae*	*quique Sophoclaeo*
	Saræ ubi	*Sacra ubi*
c. 41.	*Quid ſibi*	*Quid tibi*
c. 42.	*herovem ſurgat*	*heroum ſurgat*
	Sancta Parens	*Sancte parens*
c. 43.	*Gætica*	*Getica*
c. 44.	*vivere venturam*	*vivere venturum*
	Qui beatæ	*Qui betæ*

SS 940123

Digitized by Google